

Artikel 19. Die durch Vereinbarung mit ihren Herren frei gelassenen Kolonen, die als Erbpächter oder unter was immer für einem anderen Titel zum Besitz des Kolonats gelangt sind, sollen ebenfalls frei sein.

---

### **Stiftungs-Arkunde der Pfarrkirche zu Mengede durch Bulle des Papstes Honorius 1222.**

(Aus dem Archiv zu Münster.)

Honorius episcopus servus servorum dei dilectis filiis, praeposito et conventui ecclesiae Scheidensis salutem et apostolicam benedictionem. Justis petitionum desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequenti complere.

Ea propter, dilecti in domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu jus patronatus in ecclesia de Mengede, quod a quondam Jonathan de Ardeia de consensu venerabilis fratris nostri Coloniensis archiepiscopi diocesani loci dicitis vobis esse collatum et ipsam ecclesiam cum pertinentiis suis sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. Laterani II nonas januarii pontificatus nostri anno VI Honorius Pius p. p. III.

---

### **Stiftungs-Arkunde der Kapelle zu Westhusen (Schloß) 1361.**

(Aus dem Archiv zu Münster.)

Universis ad quos praesentes literae pervenerint, Ego Gerlacus de Westhusen, Elyzabeth mea uxor legitima atque

Giselbertus et Henricus, nostri liberi, cupimus fore notum, quod cum expresso consensu et bona voluntate omnium heredum nostrorum ob honorem et gloriam Dei omnipotentis et pro animarum nostrarum et omnium progenitorum nostrorum remedio et salute dedimus et tenore praesentium donatione inter vivos donamus fundum in curia nostra Westhusen situm, ad construendam super ipso fundo Capellam in honore decem millium martirum crucifixorum, ac beatae Katerinae virginis et martiris, et ad erigendum altare in eadem, nostris laboribus, sumptibus propriis et expensis, quam quidem Capellam dotavimus et reddituavimus perpetuis redditibus septem marcorum denariorum Tremoniensium legatum et dativorum, in et ex bonis nostris in Dyngen sitis, quae Theodoricus dictus Vryleman ad praesens colit et inhabitat, dandis perpetuo et levandis. Nec non agris seminabilibus, sex maldra bladi in semine capientibus, infra mansionem nostram Westhusen ac infra dictam Asbroeck et villam Nette sitis, quos quidem Redditus et agros predictos Rector Capellae praedictae quicunque pro tempore exstiterit hereditarie et irrevocabiliter suis usibus applicabit. Assignamus etiam et donamus pro dote, in qua Rector ipsius Capellae soleat commorari, aream quandam in villa Nette prope piscinam sitam et domum super eandem constructam et (h)ortum\* prope domum. Jus etiam patronatus dictae capellae in venerabilem virum divina patientia praepositum Monasterii Scheydensis et suos successores transferimus, qui ipse dictam Capellam, ad officiandum eam debite et honeste, personae idoneae conferat pleno jure, Hoc adjecto, quadsi Rector dictae Capellae, qui pro tempore fuerit, nobis et nostris successoribus in Westhusen commorantibus in posterum ex culpis legitimis et causis rationabilibus quomodolibet fieret inconveniens et in(h)abilis\*\*, extunc venerabilis vir praepositus Monasterii Scheydensis predicti pro tempore existens aliam personam ydoneam convenientiorem et (h)abiliorem\*\*\* pro competentia ac voluntate Pastoris in Mengede ad rectoratum dictae Capellae destinabit. Insuper Rector Capellae praedictae, Officio suo in dicta Capella peracto, juvabit Rectorem Ecclesiae in Mengede in hiis, quae sibi ad expletionem Regiminis suae (ecclesiae

necessaria)\*\*\*\* et profutura existunt, quandomunque ab eo requisitus.

Oblations etiam quas nos aut heredes nostri seu familia nostra super altare dictae Capellae obtulerimus, seu quas nos (offerre)\*\*\*\*\* super dictum altare contigerit, has et non alias Rector ipsius Capellae suis usibus applicabit, Quatuor festivitatibus in anno scilicet Nativitatis domini, Paschae, Penthecostes et Assumptionis beatae Mariae virginis, atque quatuor temporibus, quibus commemorationes animarum fiunt, in hiis exceptis, quibus festis et temporibus nos et heredes nostri debemus, ut tenemus, Ecclesiam matricem in Mengede personaliter visitare, nisi legitimae et rationabiles causae, puta guerrae, aegritudines vel alia impedimenta probabilia nos impedian et excusent, Et tunc stabit in nostro et nostrorum heredum ac familiae nostrae arbitrio, utrum velimus in Mengede vel in Westhusen communicari, sed oblations eisdem festis super altare dictae Capellae oblatae integrae praesentabuntur Pastori in Mengede ut superins est expressum. Insuper Rector saepedictae Capellae oblations altaris in Anniversario dedicationis ejusdem Capellae solus totaliter obtinebit. Praeterea nos vel heredes nostri non debemus ultra gratias superins expressas nobis indultas ampliores petere; Sed hiis contenti nullas vias seu modos aliquo ingenio sive arte quaerere, per quos possit Ecclesia parochialis in Mengede defraudari, dolis et fraudibus semper cessantibus in praemissis. Ut autem omnia supradicta firma in suo robore perseverent Nos Praepositus et conventus Ecclesiae Scheydensis praedictae, et Johannes turi temporis Plebanus in Mengede, ex parte una, Ac ego Gerlacus de Westhusen, Ghiselbertus et Henricus mei liberi parte ex altera, sigillum Nobilis viri Engelberti Comitis de Marca, cum sigillis nostris propriis, impearavimus praesentibus literis applicari. Et Nos Engelbertus Comes de Marca, ad instantiam precum omnium praedictorum quorum interest, pro majori et ampliori evidentia et ratificatione omnium articulorum, praedictorum, sigillum nostrum appendi jussimus et fecimus huic scripto. Nos quoque Praepositus et conventus Ecclesiae Scheydensis saepedictae, una cum Plebano in Mengede nostri ordinis,

sub sigillis nostris praesentibus appensis praemissa omnia ratificantes approbamus et confirmamus, volentes ea ab omnibus successoribus nostris in perpetuum inviolabiliter observari. Et ego Gerlacus de Westhusen, ac Ghiselbertus et Henricus mei liberi praedicti, sub sigillis praedictis una cum sigillis nostris ad petitionem nostram praesentibus appensis, Recognoscimus cum omnibus haeredibus nostris omnia praemissa esse vera. Datum et actum Anno domini Millesimo Tricentesimo Sexagesimo primo, crastino beatae Agathae virginis et martiris.

---

Anm. Die eingeschlossenen Buchstaben und Wörter, mit Sternchen noch besonders bezeichnet, sind im Original, das an diesen Stellen schadhaft ist, nicht mehr vorhanden, jedoch in einer Abschrift von 1835 seitens des Kgl. Archivars Dr. Erhard in Münster nach Wahrscheinlichkeit ergänzt worden. Das Original, aus dem Archiv des ehemaligen Stiftes Scheda herrührend, ist jetzt im Archiv zu Münster wohl nicht mehr vorhanden.